

Polyscias Baretiana, spec. nova Madagascariae atque situs ejus inter Polysciades Insulae Grandis

Autor(en): **Bernardi, Luciano**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Candollea : journal international de botanique systématique =
international journal of systematic botany**

Band (Jahr): **29 (1974)**

Heft 1

PDF erstellt am: **22.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-880136>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Polyscias Baretiana, spec. nova Madagascariae atque situs ejus inter Polysciades Insulae Grandis

Auctore LUCIANO BERNARDI, felsineo

RÉSUMÉ

L'auteur décrit une nouvelle espèce de *Polyscias* de Madagascar.

SUMMARY

The author describes a new species of *Polyscias* from Madagascar.

ZUSAMMENFASSUNG

Der Verfasser beschreibt eine neue *Polyscias*-Art von Madagaskar.

Polyscias Baretiana Bernardi, spec. nova (fig. 1, 2, pl. I)

Typus: Bernardi 14477 (G).

Frutex gracilis erectus, haud ramificatus crassitudine digiti, vix 1-1.5 m altus, cortice laeve, viridello, ad apicem tantum 3 mm diam. *Folia* imparipinnata, 2-3 juga, glabra, 40 cm longa in totum; in vivo, lucida superne at pallida glaucescentia inferne; in sicco opaca observantur. *Petiolus* teres, sat robustus, 10 cm longus vel magis; stipula ramulum vaginans et intrapetiolaris, 1 cm longa, robusta, margine integro. *Foliola* tenuiter membranacea, elliptica, 15-20 cm longa, 6-9 cm lata, longe petiolulata, petiolulis 15 mm longis superne complanatis debilibusque; lamina foliolorum quandoque ad basim cuneatam, inaequalis, apice acuminato, margine laxo serrato-denticulato; costa debilis subtus parum prominens; nervi exilissimi plerumque e costa alternatim 10-12 orientes, arcuato-divaricati, raro oppositi, marginem attingent; reticulum sub lentem et infra lucem, densum et conspicuum conspicitur, aurantiaco-testaceum. *Paniculae* subterminales, albo-furfuraceae, haud erectae — ut in *Polysciade Ariadnes*, neque cernuae, ut in *Polysciade Maralia* — sed latere prolesae, 20 cm vel magis longae, sed foliis semper




Fig. 1. — *Polyscias Baretiana* Bernardi
 a, fruticis conspectus; b, panicula protesa ejusdem, subterminalis, foliis brevior; c, alabastrum;
 d, flos bisexualis vix apertus; e, idem, corolla avulsa; f, idem androecio oblitterato: lobuli
 calycis aliquantum hic manifesti (a, b: ex photo. L. Bernardi, in natura).




Fig. 2. — *Polyscias Baretiana* Bernardi
Apex fruticis, panícula gracili et laxiflora. a, fructus maturus, stilopodio increto, stilis productis;
b, flos tantum masculus, receptaculo abbreviato (Line Guibentif delinaevit).

minores, graciles, duae — an magis? — e pedunculo breve, 5-10 mm longo, ebracteato (num bracteae fugacissimae adessent?) oriuntur; floriferae, fructiferae simul atque ramulis adpresse bracteatis gemmis floriferis valde immaturis conspiciuntur: ideo haec species certo cursu florum et fructuum omnino soluta videtur! Ramuli inflorescentiae arcuato-ascendentes, 3-4 cm longi, laxiflori, cicatrice pulvinata ad basim, bracteae delapsae causa. *Bracteae* sparsim conspiciuntur per inflorescentiam, triangulares-plicatae, margine scarioso et tomentellae; umbellulae 3-5 florum, nonnumquam involuclis vix 1 mm altis, praeditae. Flos saepius longior quam pedicellus observatur, tamen raro pedicelli productiores occurrunt. *Flores* saepius 2 mm alti, pedicellis vix 1-1.5 mm longis, articulatione distincte incisa, pilosella; bisexuales plerumque inveniuntur, receptaculo sat conspicuo; tamen flores solum masculi raro observantur, receptaculo abbreviato, ovario viduo, disco plano, tribus stilis erectis omnino solutis. *Lobuli calycis* minimi, 4-5, acutiusculi, tenui, in fructu obsoleti vel vix observandi. *Petala* 5, carnosiuscula, triangularia, 2 mm alta, apice — more specierum Madagascariae *Araliacearum* — intus uncinulo praedita, vittis aurantiaco-fuscis maculata. *Stamina* 5, antheris crassis, 1 mm latis et altis, compressis ovatis;

filamenta tam parva ut primo visu, flore cito inspecto antherae sessiles viderentur, dorsifixae, debilia, vix 0.5 mm longa. Stilopodium in flore humile conicum, in fructu incretum; stili e stilopodio oriuntur, exiles, contigui in floribus juvenibus et clausis, stigmatibus obsoletis, 0.75 mm plus minusve longi. *Ovarium* 3-4(-5) ovulatum, oculis parvis. *Fructus* in vivo atro-violacei et globosi, 3 mm diametrales, pedicellis gracilibus aequilongis; in sicco, fusci, plerumque 4-costatis, vittatis, stilibus reclinatorum, gracilibus, productis. Pyrenes 4(-5), 2.5 mm longae, sulcis binis signatae; semina albumine laeve, parum sulcata.

Nomen vernaculum: abest.

Species nota adhuc tantum e typo quem legebam die 17.10.1973, circa pagum Ambanizana, in Masoala paeninsula; silva pedemontana uda, procera, in rupestribus locis, ad rivulum, 150 m alt. Frutices hujus speciei sat numerosos conspexi, congregatos in umbra silvana. Ab incolis frutex omnino ignotus dicebatur.

Nuncupationis causa

Iter ad insulas Oceani Indici, ideo Madagascariae quoque, mihi licebat anno 1973 praecipue ut adirem ad commemorationem celsi Philiberti Commersonii, quae in insula Borbonia (Réunion) celebrabatur. Acerrimi intrepidique hujus viri memoriam malo lugere nisi fulgere epitheto fruticis *Araliacearum* umbratici et humilis, ut modesta et obscura vixit comes et auxiliatrix ejus, domina Johanna Baret. Merita tamen hujus mulieris Commerson ipse dixerat verbis sonantibus pro ut genere *Baretia* (*Meliacearum*), quod a prudentissimo A. L. de Jussieu scrupulose cassabatur et infideliter. Auctor celeberrimus enim scripsit (cf. *Genera Plantarum*, 1789: 264) genus "*Quivisia*" Commersonianum esse, et contra Commerson "*Baretia*" hoc genus nuncupaverat, numquam "*Quivisia*" (vide etiam Cavanilles, *Dissert. Bot.* 7: 367. 1789). "*Baretia*" igitur nomen in perpetuum extinctum, valeat mihi "*Baretiana*" epithetum incendere, verbis eisdem celsi Commersonii: "...insignata est nominibus viraginis istius quae, mutatis in viriles vestibus et mente femininis, totum orbe, curiositatis causa,... terra marique ausa est emetiri, toties quae vestigia, illust. Principis Nassauvii et nostra, agili pede secuta par altissimas freti Magellanici alpes profundissimasque insularum Australium silvas; Dianae instar pharetrata, Minervae instar sagax et austera, ferarum hominumque insidias, non sine plurimo vitae et pudicitiae periculo, sospes et integra, afflante prospero numine quodam, evasit; sui sexus prima quae integrum terraquei globi circulum absolverit, emensis plus quam quindecim leucarum millibus. Tot huic heroidi debemus plantas primum lectas, tot industria dessicatas, tantas insectorum conchyliorumque collectiones, ut mihi et aliis rerum naturalibus aestimatoribus nefas sit summos florum honores ei non pendere."

Observationes

- Species haec ob characteres majoris momenti ut a me considerabantur in revisione *Polysciadum* Madagascariae — vide *Candollea* 26: 13. 1971 — et praecipue ob formam stilopodii in flore maturo et in fructu, prope ad species: *Polyscias Maralia* et *Polyscias zanthoxyloides*, adest, a quibus (cf. l.c.: 18) sic distinguenda est:

- 10b. Folia 2-4 juga vel minus 11
- 11a. Inflorescentiae quam folia valde productiores; paniculae pendulae, flexuosae, laxiflorae; ovarium 3 loculare; foliola nervis inconspicuis
9. Polyscias Maralia
- 11b. Inflorescentiae quam folia breviores vel aequilongae, ovarium 4-5 loculare 12
- 12a. Racemi umbellularum erecti et robusti; foliola obtusa vel emarginata, coriacea margine integro, 6(-8) cm ut summum longa, reticulo obsoleto... (var. *simplex*: foliis unifoliolatis)
10. Polyscias zanthoxyloides var. zanthoxyloides
- 12b. Paniculae graciles, haud erectae nec cernuae, sed lateraliter protesae; foliola acuminata, margine serrato-denticulato, 15 cm et ultra longa, tenuiter membranacea, reticulo sub lente conspicue denso
11. Polyscias Baretiana
- Magnopere admiratus sum statim cum inirem in silvam pedemontanam a pulcherrimis arboribus *Dracaenae xiphophyllae* ornatam, fruticem *Polysciadis* ignotum conspiciere. Species nova familiae quam diligo, in silva formosa, primaeva et integra, in peninsula viride a mare aquae et silentii cincta, sub caelo clemente... cur — ergo — ab his causis cor meum tamen gaudio non tumescebat? Quia silvae illae, cum *Araliaceis* et *Dracaenis* et *Palmis* et creberrimis speciebus, inter quas plurimae descriptionem inquisitorum rerum naturalium adhuc spectant, ab ulla lege, ab ullo valido et strenuo propugnatore tutae sunt a secure et incendio!



Pl. I

Polyscias Baretiana Bernardi, spec. nova, 17.10.1973, circa pagum Ambanizana, in Masoala paeninsula.